Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26373
Copyright: Admont, Benediktinerstift



sub iungitur: Nocem illa tenebrosus turbo possideat.
Quasi enim quidam turbo tempestatis est. concitatus
spiritus meroris. Nam dum peccatum quisque quod intelligit.
dum prauitatis suae nequitiam subtiliter pensat. merore
mentem obnubilat. ac quasi concusso serenae lucidae aere.
omnem in se tranquillitatem cordis. penitentiae turbine
deuastat. Hisi enim recognoscentem se animum iste tur-
bo contereret. nequaquam ipsa duxisset. In spiritu uehementi
conteres naues tharsis. Tharsis quippe exploratio
gaudii dicitur. Si cum uehemens penitentiae spiritus mentem
occupat. omnem in ea exploratione reprehensibilis gau
dii perturbat. ut nihil ei iam nisi flere libeat. nihil nisi
quod se fleri possit attendat. Ponit namque ante ocu
los illuc districtionem iusticae. Hinc meritum culpae. con
spicit quo supplicio digna sit. si parcentis pietas desit.
quae per lamenta presentia aeterna eruere pena consueuit.
Spiritus igitur uehemens tharsis naues conteret. cum uis con
punctionis ualida. mentes nostras huio mundo quasi
mari deditas. salubri timore confundit. Dicat igitur nocte
illa tenebrosus turbo possideat. id est per peccationem culpae
non blandimenta securae quietis foueant. sed pie seuiens
amaritudo penitentiae irrumpat. Sciendum uero est.